

30. Peracta transsubstantiatione intelligi potest, corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.

31. In Sacramento Eucharistiae, *vi verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini, quae transsubstantiantur: reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam*.

32. Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptis- mate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam: dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti.

Hinc etiam Sanctis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.

33. Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, i. e. in vitam subjectivam hujus entis, atque ita de eo disponere, sicut proposuerant.

34. Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone: e quo incorrupto semine de generatione in generationem trans- fuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

35. Quo magis attenditur ordo justificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis, quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat. Juxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates quae remittuntur, et peccata quae teguntur: illae, ut videtur, sunt culpae actuales et liberae, haec vero sunt peccata non libera eorum, qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocuum.

36. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis; cujus communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.

37. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale, sed subsistens ac vivens: illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam objectivitatem: at qui videt alterum (quod est Verbum), etiamsi per speculum et in aenigmate, videt Deum.

38. Deus est objectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum *ad extra*.

39. Vestigia sapientiae ac bonitatis, quae in creaturis relucunt, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in aeterno exemplari collecta sunt ea Ipsius pars, quae ab illis videri possit (che è loro accessibile), ipsaque argumentum praebent laudibus, quas in aeternum Deo Beati concinunt.

40. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriae, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare, nisi eo modo, qui finitis intelligentiis sit accommodatus: scilicet Deus se illis manifestat, quatenus cum ipsis relationem habet, ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

Appendix II.

Catalogus scriptorum de theologia morali et practica.

Postquam tradidi eum fontem eamque normam theologiae morali, quae infallibilitate suprema Ecclesiae nititur, et quam auctoritatem *legiferam* vocari licet, alium fontem addam, fallibilem quidem, si singillatim spectatur, sed, si unquam, in re practica summi momenti, auctoritatem doctorum virorum, qui in re morali sibi nomen acquisierunt: quam auctoritatem merito vocaveris *doctrinalem*.

Meae intentionis non est completam enumerationem eorum facere, qui de theologia practica scripserunt, sed vel magis obvios scriptores collegi, vel eos, qui sive ex doctrinae soliditate, sive ex communis doctrinae oppugnatione celebriores sunt. Non ad solos quidem eos me restrinxi, qui de theologia morali egerunt, sed etiam ex iis, qui de theologia pastorali speciatim scripserunt, vel de jure canonico, complures attuli. At in his disciplinis pro theologia morali auxiliaribus multo minus integrum catalogum ne eorum quidem dare, qui insigniores in iis evaserunt, in animo mihi erat.

Quo magis pateat, quo auctoritatis pondere singuli fruuntur, studui in scriptoribus, praecipue anterioris aetatis, ea signa adjungere, quibus, ab Haringer inductis, judicium S. Alphonsi de ipso auctore exprimitur: nimirum ** notet auctorem *gravem* et *probabilistam*, * auctorem *gravem* (etsi forte probabilistam se aperte non fateatur, sed neque probabilioristam), † auctorem *gravem* quidem, sed qui se fateatur *probabilioristam*, ‡* auctorem rigidum; sive probabilioristam se dicit, sive etiam ipsum probabiliorismum pro laxiore doctrina habet; — in *aliquibus* recentioribus eadem signa ex meo judicio apposui. Quae ceteroqui necessario addi debent, apud singulos notata sunt.

At magis etiam lector perspiciet vim atque pondus auctoritatis, quam diversis scriptoribus attribuat, si brevi conspectu ejus oculis subjicitur status et conditio scientiae morali, in qua variis temporibus versabatur. Quod quam brevissime facere conabor.

Theologia morali, quamquam tota est practica, tamen pro diverso fine, quem scriptor sibi proposuit, diverso modo tractari potest atque tractata est; praecipue prout intenditur imprimis ipsarum virtutum et officiorum cognitio, vel ad virtutes exhortatio, vel usus maxime practicus confessionum. Priori fini convenit tractatio speculativa, alteri ascetica, tertio casuistica. Verum qui in tertio modo haeret neque primum adjungit, sane theologiam moralem *ut scientiam* deprimit.

Primis Patrum saeculis, ut in dogmatica, ita etiam in re morali seu ethica christiana non tam systematicam quandam elucubrationem quaerere debemus, quam potius paraeneticas diversorum officiorum vel virtutum expositiones. In quo genere, omissis Tertulliano, qui in compluribus ejusmodi scriptis jam haereticam sectatur severitatem, praeclaros libros habemus:

S. Cypriani (de lapsis, de mortalitate, de opere et eleemosynis, de bono patientiae, de habitu virginum);

S. Ambrosii (praeter plures sermones exegeticos: de officiis, de virginibus, de viduis etc.);

S. Augustini (speculum, de mendacio, de patientia, de bono conjugali, de sancta virginitate, de bono viduitatis etc.);

S. Basilii (moralia, regulas fusiores, et regulas breviores: quamquam haec opera dubia sunt);

S. Gregorii Nysseni (de perfectione christiana);

S. Joannis Chrysostomi (homilias quam plurimas, maxime: de poenitentia, ad populum Antioch.; opuscula de sacerdotio, ad Theodorum lapsum, de compunctione);

S. Gregorii Magni (moralia in Job, regulas pastorales, dialogos, homilias in Ezechiel et in Evangelia);

B. Cassiani (collationes Patrum).

Practica vero scripta pro sacramenti poenitentiae administratione primis quidem temporibus in diversorum conciliorum canonibus habebantur, quibus pro certis peccatorum generibus certa poena decernebatur. Dein, quo magis *publica* poenitentia evanesceret, canonica vero poena pro quibuslibet peccatis, saltem gravioribus decerneretur, opus erat collectione canonum poenitentialium, quorum pro diversis locis diversorum etiam nunc ut monumenta priorum temporum *libri poenitentiales* exstant. Hisce libris fere ad saeculum decimum tertium usque practica adjuncta in poenitentiae administratione restringebantur.

Illo autem tempore scientia omnis theologica effloruit, atque lumina illa, SS. Thomam Aquinatem dico, Bonaventuram cum aliis insignibus viris praecessoribus et sectatoribus, tum quae ad dogma presse sumptum, tum quae ad mores spectant, summo ingenii acumine indagare atque ordinare coeperunt. Igitur animi affectus, passiones, habitus, virtutes et vitia perscrutabantur, eorum origines, progressus, cohaerentiam ostendebant, virtutes et habitus supernaturaliter datos explorabant: quae omnia, ut in II. S. Thomae summam proponuntur, etiam nunc legentium admirationem movent atque doctorum virorum ingenia acuunt.

Quum post saeculum studium atque tractatio speculativa theologiarum disciplinarum non nihil declinaret, complures viri doctrinam insignes ea, quae antea collecta atque congesta erant, paulo magis ad practicum usum adaptare conabantur. Cujus rei studium vides in Summa theologiae S. Antonini, magis etiam in compluribus summis, quae de casibus conscientiae inscribebantur, quae tamen minime destitutae sunt scientifica et speculativa expositione, e. g. Summa Angelica (auctore Angelo de Clavasio), Summa Rosella (auctore J. B. Trovamala).

Quum dein saeculo decimo sexto post Concilium Tridentinum scientiae theologicae denuo florere coepissent, quam plurimi eximii theologi doctos commentarios in S. Thomam conscripserunt, vel etiam singulos diversarum materiarum tractatus ediderunt, in quibus etiam morales quaestiones mirifice

illustrare. Imo ab illo tempore longe maximam partem eorum scriptorum habes, qui cum laude in sequenti catalogo nominantur. Per saeculum circiter, fere usque ad exitum saeculi decimi septimi scientiae theologicae ita maxime erant florentes. Ea aetate habes Medina, Ledesma, Gregorium de Valentia, Vasquez, Lessium, Suarez, Soto, Sylvium, Lugo etc. etc.: et illi quidem etiam morales quaestiones speculativo et scholastico more, ut res dogmaticas, tractaverunt. Verum eadem fere aetate alii insignes theologi modum etiam alium tenuerunt, qui praecipue et proxime commodum ferret sacerdotibus pro confessionibus excipiendis. Ut priores theologi ante omnia in explicandis virtutibus versabantur et adnectebant peccatorum explicationem, ita posteriores illi potissimum in explicandis peccatis erant: idque revera ab hac aetate eo magis pervulgabatur, quo magis probabilissimi systema pro fundamento singularum quaestionum et norma sumere atque accuratius definire scriptores conabantur, quid qua gravitate illicitum esset. Paucos sufficit nominasse: Azpilcueta (Doctorem Navarrum), Toletum, Sanchez, Laymann, Marchant, Bonacina.

Haec quidem tractatio praecipue practica etiam sequenti aetate permansit. Ultimis autem saeculi decimi septimi decenniis et deinceps atque saeculo decimo octavo magna pugna exarsit contra probabilismum. Neque minimam partem hac in re habuerunt Jansenistarum artes atque fraudes. Morum severitatem antiquae Ecclesiae extulerunt, atque indulgentiam eam, quae, humanae infirmitati compatiens, si modo necessaria fiant, contenta sit, laxitatis et morum corruptelae incusabant. Quo etiam optimi quique quodammodo percellerant atque ad severiora facile inclinabant, non attendentes, veram sanctitatem sibi quidem exsistere severam, iis autem, qui graviora ferre non possent, benignam atque indulgentem. De qua aetate recte ait Del Vecchio (*Theol. mor.* I. p. 10): „Isti (Jansenistae) sub fraudulenta purioris pietatis ac severioris disciplinae specie fideles a sacramento avertendo, importabile jugum ipsis imponendo et in desperationem conjiciendo letale morali theologiae vulnus inferre conati sunt.“ Quapropter mirum non est, ex eo tempore auctos esse scriptores rigidiorum sententiarum, verum ita, ut etiam ii provocarentur, qui e contrario excederent in benignioribus opinionibus defendendis; scribentium quidem copiam crevisse, eorum autem, qui scientiam theologiae moralem eximie promoverent, numerum longe inferiorem fuisse. Neque tamen deerant, qui etiam inter classicos scriptores numerari mererentur, ut: Elbel, Lacroix, Mazzotta, Reiffenstuel, Reuter, Roncaglia, Sporer, Voit etc. Atque eos auctores, qui post Alexandrum VII. et Innocentium XI. scripserunt, id prae aliis prioris aetatis scriptoribus commendat, quod rationem habere potuerint thesibus ab illis Pontificibus proscriptarum, quum ex anterioribus etiam prudentissimi quique scriptores facile hinc inde in opinionem, quae postea damnabatur, impigerunt. Neque sane hoc nos commovere debet, neque quidquam illorum scriptorum auctoritati detrahere, siquidem ne S. Alphonso quidem datum est, omnes evitare opiniones, quibus S. Congregationes Romanae contradicerent, neque id impedivit, quominus pro conditione, in qua tum quaestiones versabantur, nihil censuram dignum in scriptis S. Doctoris inveniri, S. Sedes solemniter declararet.

Medio autem saeculo decimo octavo, quum diversa sententiarum copiosissimus numerus multorum mentes perturbasset, rigidis sententiis conscientias constringere tentaret, atque ex ipsis confessariis quam plurimi inter ea,

quae agere liceret, quae non, incertiores haerent: divina providentia, ut Pius IX. dicit, Ecclesiae suae insignem et sanctum Doctorem, S. Alphonsum de Liguori, providit, qui eximiâ prudentiâ atque doctrinâ in rebus moralibus praecipue instructus novam quasi lucem in tenebras discrepantium opinionum intulit, magnorum illorum virorum scriptis maxime insistens eorumque vestigia premens, qui saeculo decimo sexto et septimo scientiam theologicam illustraverant, ita tamen, ut quidquid solidi in recentioribus scriptis inveniret, studiosus reciperet. Post sanctum illum virum, perversa quidem illius saeculi impiorum philosophorum dictamina, quae mores corrumperant, corroderant fidem, uberes, sed pestiferos fructus tulerunt tum in civilium omnium rerum perturbatione, tum in strage scientiarum, inter quas theologiae disciplinae misere jacebant. Neque solum impietas illa studiis theologicis gravia vulnera infixit, sed etiam istud novarum rerum studium, quod viros ceteroqui probos et doctos a medio saeculo praecedente impulit, ut scholasticam et methodum et doctrinam plane aspernarentur. Hinc novum sibi systema novamque doctrinam etiam in re morali a fundamentis exstruendam esse putaverunt: quod pro suo et pro scientiae magno damno tentarunt. Ab ultimis igitur decenniis saeculi decimi octavi et prioribus decimi noni saeculi vix quidquam invenies circa nostram disciplinam conscriptum, quod magnam considerationem mereatur. Ut optimus fuerit conatus, fructus labori non respondebat. — Quare tum tandem in bonum nostrae scientiae S. Alphonsi auctoritas splendescere coepit, quum pace composita et religione quodammodo restaurata, ad solidiora theologiae studia reverti debere penitus sentiretur, idque eo fere tempore, quo S. Sedes eidem viro coelitum honores decrevit.

Et revera a pluribus decenniis, quum etiam moralis theologiae disciplina inciperetur profundius tractari atque a vagis quibusdam honestatis et pietatis sensibus ad solida tutaque principia revocaretur: vix non omnes prae ceteris S. Alphonsum ducem secuti sunt, ita ut non pauci synoptica quadam Sancti illius operum reproductione sese restringerent. Nomina, ut Gury cum suis adnotatoribus, Neyraguet, Gousset, Seavini etc. per se loquuntur. A pluribus igitur decenniis cum studio et cura hujus disciplinae etiam scriptorum numerus, qui solide et accurate eam tractarent, crevit. Atque etiam laudandus plane est ille conatus, quo complures eam ex humiliori quadam tractandi methodo *mere* casuistica ad elegantiorum formam attollere studuerunt, modo ne casuistica rerum tractatio, quae in se summi momenti est, hac ratione damnnum patiat. Laudo hoc loco imprimis Pruner, Müller, Bouquillon: alios ipse catalogus exhibebit. — Praeter eos, qui elucubrationes suas „theologiam moralem“ inscripserunt, complures etiam exstiterunt, qui singularem illam partem, qua curae pastoralis officia docentur, tamquam propriam disciplinam nomine „theologiae pastoralis“ excolere. Praeclaros hujus studii labores possidemus. In Germania notissima sunt hac in re nomina: Amberger, Benger, Gassner, Probst, Schuech etc.: a quorum ulteriore enumeratione absteo, tum quia aliquos in sequenti catalogo attuli, tum quia de hac distincta disciplina agere in mentem non induxi.

A.

- ** Abelly, Gallus (1604—1691), Episcopus Segodunensis (Rodez), S. Vincentio a Paulo familiaris, scripsit praeter complura opera ascetica et pastoralia *Medullam theologicam*.
- Aegidius Romanus de Colonna († 1316), O. S. Aug. Praepos. gener., Episc. Bitur. et Card., *Doctor fundatissimus*, discipulus S. Thomae, scripsit inter alia *commentarios in libros sentent.*
- Aertnys, Belga, C. SS. Red., qui recenter edidit libellos *de occasionariis et recidivis, de usu matrim.*, Tornaci 1883; dein *Theolog. moralem juxta doctrinam S. Alph. M. de Liguori etc.*, 2 tom. ibid. 1886 et 1887, opus omnino dilucide et moderate compositum, dignum, quod cum magna laude commemoretur; ed. 2. modo prodiit 1890 Paderbornae.
- Aichner, S., Germanus, Episc. tit. Seb., nunc Ep. Brix., edidit *compendium juris canonici*, opus concinne et solide scriptum, Brix. 1862, ed. 6. 1887.
- B. Albertus Magnus, Germanus (1193—1280), O. P. Arch. Ratisbon., S. Thomae Aq. magister.
- Albizi, Franc., Italus, Cardin. (1623—1684), scripsit *de inconstantia in fide; de inconstantia in judiciis; de jurisdictione Cardinalium in suis titulis*.
- †* Alexander, Nat., Gallus, O. Pr. (1639—1724), ingenii acumine, scientia, eruditione praeclarus, notissimus ex dissertationibus historiae ecclesiasticae; in rebus moralibus rigidior est, ut apparet ex opere „*theologia dogmatica et moralis*“.
- Allègre, G., Gallus, *De impedimentis matrimonii compendium*, brevis et dilucida expositio eorum, quae impedimenta matr. spectant. Parisiis 1885, ed. 4. 1889. — Gravioris etiam momenti est opus recentius „*Le code civile commenté*“, in 4 vol. Par. 1888, ubi singulos articulos juris Gallici sub ratione theologiae et juridica expositos habes.
- Alloza, Joannes, S. J. (1598—1666), Limae in America meridionali. *Flores Summarum seu Alphabetum morale: quod Leodii et Coloniae saepius prodiit*.
- ** S. Alphonsus Maria de Liguori (1696—1787), Eccles. Doctor, Episc. S. Agath. Goth., fundator C. SS. Redemptoris, cujus scripta, imprimis moralia, cum aliorum scriptis laudasse potius deprimere esset. Quamquam praecipuum opus morale est „*theologia moralis*“ seu commentatio medullae P. Busenbaum, quam ad extremam usque aetatem perpolire studuit, tamen etiam *Homo apostolicus* et alia ejus opuscula moralia nullatenus negligenda sunt.
- Alvarez, Didac., S. J., Granatensis († 1608), edidit *Summam casuum conscientiae in articulo mortis occurrentium circa Sacramenta*.
- ** Alvarez, Didac., Hispanus, O. Pr. († 1635), Archiep. Tranensis, insignis propugnator physicae praedeterminationis gratiae, in re morali magnae auctoritatis.
- Amberger, Jos. († 1889), germanice scripsit *theologiam pastorem*, ejus quarta editio 1888 (Ratisbonae) in lucem prodiit, opus multum laudatum et aestimatum.
- ** Amicus, Franc., Italus, S. J. (1651), edidit *Cursum theologiae scholasticae* 9 vol. in fol.